



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXVIII. An Clerici sint liberi à iugo potestatis secularis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)



est verior, nisi hoc modo concilientur, vt dicamus sancto Prospero loqui de illis, qui planè sufficientem habent sustentationem ex patrimonio, aut beneficio; tunc enim aliter est superfluum, & proinde pauperibus debitum: Alii verò auctores loqui de illis, qui neque ex patrimonio, neque ex beneficio sufficientem omnino sustentationem habent; hi enim vtrumque retinere possunt, modò ex vtroque nihil accipiant vltra sustentationem, decentem iuxta conditionem proprii status. Quod enim verè superfluum est dandum esse pauperibus, Theologi communiter docent. Vide quæ scripsimus in 3. tomo, lib. vlt. cap. 7.

## CAPVT XXVIII.

*An Clerici sint liberi à iugo potestatis secularis.*

**R**OSTREMO restat quæstio de libertate Ecclesiastica. Tres autem sunt in hac parte sententiarum. PRIMA hæreticorum multorum, quæ Clericos sint & esse debeant iure subiecti potestati seculari, tum in soluendis tributis, tum in iudicijs præsertim in causis non Ecclesiasticis. Marsilius de Padua, & Ioannes de Ianduno docuerunt, ipsum etiam Christum fuisse liberum à soluendis tributis, & quod fecit Martinus cum tributum soluit, id fecisse non voluntate, sed necessitate; ita refert Turrecremata lib. 4. summæ de Ecclesia, parte 2. cap. 37.

Ioannes CALVINVS lib. 4. Instit. cap. II. §. 15. docet, Clericos omnes, præterquam in causis merè Ecclesiasticis, subiectos esse debere legibus, & tribunalibus secularium magistratum. Idem docet Petrus MARTYR in cap. 13. ad Romanos, vbi etiam addit, Principes non potuisse concedere Clericis priuilegium ne subiicerentur magistratibus politicis, cum id sit contra ius diuinum; & ideo, non obstante concessione Principum, debere Clericos subiectos esse magistratibus secularibus. Ioannes BRENTIVS in prolegomenis, & Philippus in locis cap. de magistratu, etiam in rebus Ecclesiasticis subiiciunt Clericos politico tribunalibus.

SECTA



SECUNDA opinio in altero extremo versatur, estq; multorum Canonistarum, qui putant iure diuino Clericos & eorum bona libera esse à potestate secularium Principum; ita docet Glossa in can. tributum 23. q. 8. & in cap. quamuis, de censibus in 6. Huius opinioni adhærere videtur ex parte, Io. Driedonius lib. 1. de Christiana libertate, cap. 9. vbi dicit, bona secularia Clericorum non esse libera, nisi fortè Principum concessione; personas autem, & bona Ecclesiastica insinuat libera esse iure diuino.

TERTIA opinio, media est multorum Theologorum, quòd liberi sint Clerici, partim iure diuino, partim iure humano, partim etiam neutro modo; ita Franciscus Victoria relectione 1. q. vlt. de potestate Ecclesiæ; Dominicus à Soto in 4. dist. 25. q. 2. artic. 2. & Couarruuias in lib. practicarum quæstionum, cap. 31.

Sit igitur PRIMA propositio. *In causis Ecclesiasticis, iure diuino, liberi sunt Clerici à secularium Principum potestate.* Explico; Vocantur causæ Ecclesiasticæ illæ, quæ non pendent ex legibus ciuilibus, sed ex Euangelio aut canonibus Conciliorum, & Pontificum, quales sunt controuersia de ordinibus Ecclesiasticis, de Sacramentis, de fide, & aliis id genus.

Probatur PRIMò; Iure diuino regimè Ecclesiasticum est distinctum à politico, & illo etiam sublimius, ergo causæ Ecclesiasticæ iudicari nõ debent à politicis magistratibus. præterea tota auctoritas regendi Ecclesiam à Christo cõmissa est Apostolis, & præcipuè Petro, aded vt omnes laici in rebus Ecclesiæ sint oues, & subditi, non pastores vel iudices, vt in lib. de summo Pontifice, demonstratum est.

SECUNDO, ex Conciliis; Mileuitano can. 13. & Matisconensi can. 8. vbi puniuntur grauiter Clerici, qui causam Ecclesiasticam ad iudicium Imperatoris deferunt.

TERTIO, ex Patribus; Sulpitius lib. 2. sacrae historiae refert, S. Martinum aliquando dixisse nouum esse, & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret; Item Ambrosius epist. 78. ad Theophilũ, & Augustinus epist. 162. reprehendunt eos qui causam Ecclesiæ terrenis iudicibus deferunt.

LLI

QVARTO,



QUARTO, ex Apostolorum exemplo; Apostoli enim ecclesias gubernauerunt, quo tempore nulli erant Principes Christiani, ac proinde nunquam ad eos causam Ecclesie iudicandam deferrebant. Nam si Apostolus 1. Cor. 6. iubet res etiam ciuiles Christianorum non deferri ad iudicia Paganorum, quomodo permisisset ad eos deferri lites ecclesiasticas?

ULTIMO, ex Iustiniano, qui idem asserit Nouell. 83.

SECUNDA propositio. *Non sunt exempti Clerici a modo ab obligatione legum ciuilium, quæ non repugnant sacris canonibus, vel officio clericali.* Explico; Loquor hinc præcipuè de legibus politicis, quæ dirigunt actiones humanas in rebus temporalibus, vt cum Princeps lege sua constituit præcia rebus venalibus, vel iubet noctu neminem egressum extra prouinciam, &c. Nec volumus dicere hinc legibus teneri Clericos obligatione coactiua, sed solùm coactiua, vt sunt leges Principum; quanquam iisdem legibus ab Ecclesia approbantur, & ratæ habentur, etiam contra obligationem teneantur.

Probat; nam Clerici præterquam quod Clerici sunt etiam ciues, & partes quædam Reipublicæ politice, vt tales viuere debent ciuilibus legibus, non sunt exempti a legibus politicis, quàm quæ à magistratu politico latæ sunt, igitur Clerici seruare debent, alioqui magna confusio & perturbatio in Repub. oriretur, si Clerici non seruarent politicas leges in rebus humanis & politicis.

SECUNDO, probatur ex confessione Pontificum, & Imperatorum: Nam Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperatorem finem dicit, Deum diuissse Pontificiam auctoritatem ab Imperiali, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum, imperialibus legibus vterentur. Imperator Valentinianus in epist. ad Episcopos Asiæ, quam refert Theodoretus lib. 4. cap. 7. hist. dicit, probos Episcopos non solùm Dei, sed etiam Regum legibus obtemperare. Denique Chrysostomus in illud Rom. 13. *Omnia anima potestati sublimioribus subdit a sit;* dicit Christi legem nõ tollere



politicas leges, & ideo debere etiam Sacerdotes & Monachos eis parere.

**TERTIA** propositio. *Etsi Clerici teneantur leges civiles seruare, non tamen possunt à iudice politico puniri, vel vllò modo trahi ad secularis magistratus tribunal.*

Explico; Si Clericus violans ciuilem legem, vt carius vendendo, quàm lex patiatur, peccat, & restituere tenetur, non tamen poterit accusari apud iudicem secularem, sed apud Episcopum tantum.

**PROBATUR PRIMO** ex Conciliis, Chalcedonen. can. 9. *Si Clericus aduersus Clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad secularia iudicia non recurrat, &c.* Concilium Agathense can. 32. *Clericum nullus presumat apud secularem iudicem Episcopo non permittente pulsare, etc.* Concilium Carthaginen. III. can. 9. & Toletanum III. can. 13. Matisconense, cap. 8. idem habent.

**SECUNDO** probatur ex Imperatorum constitutionibus; nam eximit Iustinianus Clericos & Monachos à seculari iudicio in Nouellis constitutionibus 79. 83. & 123. quauquam non eximit in caussis criminalibus, sed solum ciuilibus; in criminalibus autem vult à Pratore cognosci caussam, non tamen condemnari Clericum, nisi prius ab Episcopo fuerit degradatus; At nihilominus lex Canonica eximit simpliciter etiam in caussis criminalibus, cui cedere debet lex Imperialis, cum possit Pontifex Imperatoribus iubere in iis, quæ ad Ecclesiæ auctoritatem spectant.

**TERTIO** ex Pontificum decretis, **CAIVS** Papa epist. ad Felicem Episcopum: *Nemo, inquit, Episcopum, aut reliquos Clericos apud iudicem secularem accusare presumat.* **MARCELLINVS** in epist. 2. *Clericum cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu, nullus presumat ad secularem iudicem traheret.* **GREGORIVS I.** lib. II. epist. 14. ad Ioannem defensorem: *De persona, inquit, Presbyteri hoc attendendum est, si quam caussam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopis ipsius adire debuit.*

**QUARTO** ratione, nam absurdum videtur, vt ouis pastorem suum iudicet quocunq; modo. Deinde adhuc absurdius esset, si hodie Prator posset vocari ad tribunal Episcopi, &



cras Episcopus ad tribunal Prætoris. Præterea absurdum  
tiam videtur, vt terrenus iudex summi Iudicis seruos, sa-  
tosq; homines capiat, vel puniat; vnde laudatur ab omni  
vox illa Constantini Magni, qui ad Episcopos quosdam  
collegas suos de nescio quibus criminibus accusauerat  
*Vos Dñ estis, à summo Deo constituti, conueniens non est  
homo iudicet Deos.* Refert Ruffinus lib. 10. hist. cap. 2. &  
eum Gregorius lib. 4. epist. 75. ad Mauritium.

AT OBIICIT Calvinus lib. 4. Instit. cap. 11. §. 15. epist.  
Constantini ad Nicomedienses, quã refert Theodoretus  
bro 1. hist. cap. 20. vbi dicit Constantinus, se Eusebium Ni-  
comediensem Episcopum eiecisse in exilium; & subiungit  
*quis Episcoporum inconsulte tumultuatus sit, Ministri  
hoc est, mea executione illius audacia coërcebitur.*

RESPONDEO, more solito Calvinum imponere sin-  
cibus; nam Constantinus in illa epistola dicit se eiecisse  
exilium Eusebium Episcopum, sed addit, cum prius fuit  
Nicæno Concilio depositum ab Episcopatu propter  
resim; nec enim negamus, quin debeat magistratus  
Clericos, quando ab Ecclesia degradantur, & iudiciali-  
cularibus traduntur; verba autem Constantini, quæ  
uinus subiungit, ab ipso deprauata sunt; non enim  
Constantinus minatur eo loco Episcopis, sed laicis; dicit  
se grauitur puniturum plebem Nicomediensem, si  
redire velit ad Episcopos hæreticos à Concilio damnatos,  
& non acquiescat suscipere probum, & Catholicum  
fitem. Hæc enim sunt verba eius: *Si autem quis  
non dicit Episcoporum, temeritate & audacia accusatus  
Ecclesia pestes, id est, Episcopos Arianos à Concilio damna-  
tos, vel memoria, vel laudibus celebrare aggrediatur, con-  
stis opera ac diligentia Ministri Dei, hoc est, mea, per  
infamia dabit.*

OBIICIT SECUNDO Petrus MARTYR, iure diuino  
ita est omnis anima sublimioribus potestatibus, id est, Regi-  
bus, ergo non potuerunt Reges eximere à sua potestate  
illos Christianos. Et confirmatur argumentum ex doctrina  
Catholicorum, qui ea ratione probant, nõ posse vllum  
etiam potestate Papæ, quia iure diuino omnes subiciuntur Pa-  
pæ in spiritualibus.

RESPON



RESPONDEO, negando consequentiam; nam etiam si de iure diuino est, vt patet superioribus nostris, & proinde Regibus, dum superiores sunt, tamen potest fieri, vt qui nunc est superior, paulò pòst non sit, nimirum si ipse subiciat alteri partem sui regni, vel si iure belli amittat regnum, aut regnum ipsum vertatur in Rempub. quoniam ergo partim Principes ipsi Clericos, alioqui sibi subiectos in rebus temporalibus, subiecerunt in omnibus Episcopis suis; partim etiam summus Pontifex eosdem Clericos exemit à subiectione Principum; non sunt amplius Reges Clericorum superiores, & proinde non tenentur iure diuino, nec iure humano eis parere, nisi quantum ad leges directiuas, vt suprà diximus.

Ad confirmationem respondeo, nō esse simile; nam regna nō sunt de iure diuino, sed de iure Gentium, & proinde mutabilia sunt: Pontificatus autē de iure diuino est, nec potest, vel ab ipso Pontifice, vel ab Ecclesia tota immutari.

QUARTA propositio. *Bona Clericorum, tam Ecclesiastica, quàm secularia, libera sunt, ac merito esse debent, à tributis Principum secularium.* Quod sint exempta, patet ex Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. par. I. cap. 19. Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 46. Item ex capite Ecclesia S. Mariæ, extra de constitutionibus; ex cap. Quamquam de censibus, in Sexto, & cap. Quia nonnulli, & cap. Clericis, de immunitate Ecclesiarum, in Sexto, & ex Extrauaganti, Quod olim, de immunitate Ecclesiarum. Item ex legibus Principum aliquorum, quæ habentur in Codice Theodosiano lib. 16. tit. 2. lege 16. & 26. & in Codice Iustiniani L. Sancimus, tit. de sacrosanctis Ecclesiis, & lib. 10. hist. Eusebij ex versione Christophorsoni, cap. 7. vbi tamē est obseruandum ante Iustiniani tempora legibus priorum Principum immunes fuisse Clericos à tributis personalibus, vt etiam indicat S. Hieronymus in commen. ad cap. 17. Matth. non tamen fuisse liberos à tributis, quæ pendi solent ratione possessionum, vt colligitur ex S. Ambrosio, & aliis quæ infra citabimus pro sequenti propositione.

Quod autem hoc æquum fuerit, probatur; nam in primis habemus exemplum hominum viuentium in lege naturæ;



nam Genes. 47. Ioseph subiecit Pharaoni omnes Aegypti voluit, que eos certum tributum pendere, exceptis solum sacerdotibus, quos immunes & liberos esse debere iudicavit. Deinde bona Ecclesiastica sunt Deo consecrata, unde in scripturis Apostolorum, can. 40. dicuntur bona Domini, æquum est igitur, ut illa libera sint ab exactioibus Regum, ne Deus ipse soluere Regibus tributum videatur.

**Q**UINTA propositio. *Exceptio Clericorum in rebus politicis, saltem quoad bona, iure humano introducta non diuino.* Dixi saltem quoad bona, quoniam quoad personas, ea exceptio valde conformis est iuri naturali, & diuino.

Probatur **PRIMO** ex illo Rom. 13. *Omnis anima potestibus sublimioribus subdita sit.* Et infra: *Ideo tributa prestatis.* Illud: *Omnis anima*, includit etiam Clericos, teste Celsostomo, ergo illud: *Ideo tributa prestatis*, dicitur etiam Clericis, ergo Clerici nisi eximantur privilegio Principum, obligantur soluere tributa; & confirmatur ex B. Thoma, qui hunc locum idem asserit.

**S**ECUNDO testimoniis veterum; nam Urbanus, verba habet tur 23. quæst. 8. can. Tributum, sic ait: *Tributum, inquit, in ore piscis piscante Petro inuentum est, quia de exterioribus suis Ecclesia tributum reddit, &c.* AMBROSIVS in oratione de tradendis basilicis: *Si tributum, inquit, petit, non negantur agri Ecclesia soluunt tributum.* VALENTINIANVS sententiam epistolæ ad Episcopos Asiae, teste Theodoro lib. 4. hist. cap. 1. dicit bonos Episcopos tributa pensitare Regibus; si ergo tunc Imperator pius petebat tributum, si S. Urbanus Papa, & B. Ambrosius dicunt non esse negandum, certè non est de iure diuino, ut non solvatur. Item B. Gregorius lib. 11. epistolæ 54. ad Ioannem defensorem, non aliter probat, Presbyterum non debere trahi ad tribunal iudicis secularis, quàm quia ita ordinavit Iustinianus Imperator.

Probatur **TERTIO**, quia nullum proferri potest Dei verbum, quò ista exceptio confirmetur, ut patebit ex argumentorum solutione.

**PRIMO** igitur obiiciunt illud Matthæi 17. *Quid tibi videtur Simon, Reges Gentium, à quibus accipiunt tributum, &*



*suis an ab alienis? Respondit Simon: ab alienis. Ait Dominus, ergo liberi sunt filij. Et confirmatur ex Augustino lib. 1. quæst. Euang. quæst. 23. ubi sic loquitur: In omni regno intelligendum est liberos esse filios, id est, non esse vectigales, multò ergo magis liberi esse debent in omni regno terreno filij regni illius, sub quo sunt omnia regna terra. Hæc ille. Quare ex sententia S. Augustini, ex hoc loco Euangelij Clerici, qui sunt maximè filij, & domestici summi Regis, liberi erunt. Accedat etiam Hieronymi sententia, qui in commentario huius loci indicat Clericos tanquam regni filios immunes esse à tributis.*

*Respondeo PRIMO, hunc locum non conuincere, nam alioqui eximeret à tributis omnes Christianos; omnes enim sunt filij Dei, qui per Baptismū renati sunt. SECUNDO dico, Dominum loqui de seipso tantum; facit enim hoc argumentum: Filij Regum liberi sunt à tributis, quia nec soluunt parentibus suis, cum sint communia parentum & filiorum bona; nec aliis Regibus, quia eis non subsunt; At ego filius sum primi, & summi Regis, igitur nulli homini tributum debeo; Itaque Dominus cum ait: Ergo liberi sunt filij, id solum inde colligi voluit, se non fuisse obligatum ad soluendum tributum; de ceteris hominibus nihil dixit.*

*At CONTRA; nam etiam filij adoptiui Regum non soluunt tributa; sumus autem nos filij Dei per adoptionem, ergo non tenemur tributa soluere. RESPONDEO; Nos filij Dei sumus adoptiui secundum animam, non secundum corpus; renouati enim sumus spiritu, corporis autē redemptionem adhuc expectamus, Roman. 8. & tributa verò ratione corporis soluuntur.*

*At MARSILIUS de Padua obiicit, Christus quoq; ante resurrectionem secundum corpus moralis erat, & renouationem expectabat, ergo tenebatur soluere tributum.*

*RESPONDEO, Christus secundum corpus moralis erat, non tamen seruus, sed liber, nec expectabat redemptionem corporis sui, sed solum resurrectionem. Nos enim secundum corpus nōdum redempti sumus, quia adhuc concupiscentia manet in nobis, & ideo mente seruiamus legi Dei; carne autem legi peccati, ut dicitur Roman. 7. Atque hinc obnoxij sumus peccatis, pœnis, periculis, propter quæ necessarium est*



habere magistratum, & illi tributa solvere, ut ipse vigilet, Rempub. in pace contineat. Quocirca in statu innocenti fuisset quidem subiectio filiorum ad parentes, & fortassis uium ad Regem, non tamen exactio tributorum, cum non essent pericula, nulli terrores, nulli labores; Christus igitur qui nullam habuit concupiscentiam malam, liber erat etiam corpore, etsi mortuus est, id factum est, quia ipse voluit, dicitur Isaiæ 53. Quocirca merito damnata est tanquam heretica sententia Marfilij à Ioan. 22. in Extrauaganti, Licet pud Ioan. de Turrecremata lib. 4. summæ de Ecclesia, par. cap. 37.

Ad testimonium S. Hieronymi respondeo, eo loco S. Hieronymum non voluisse probare ex Euangelio, Clericos à liberis à tributo, sed solum afferre congruentiam quæ datur liberati fuerint; ideo enim dicit eos quasi filios regni tributa non soluere; & addit aliam causam, nimirum Christi honorem; ait enim, pro eius honore Clericos tributa non soluere. Itaque non ius diuinum, sed Principum decretum honorem Christi facta, Clericos liberarunt.

Ad testimonium S. Augustini responder B. Thomas in 2. q. 104. art. 6. Augustinum voluisse dicere, Christianos non esse filios regni, & proinde liberos à seruitute peccati. Prehendit Cornelius Iansenius in commentario, ca. 17. Matthæi hanc responsionem, quoniam Augustinus discrete dicit filios regni esse liberos à vectigalibus.

Respondet autem Iansenius, Augustinum per filios regni intellexisse filios Dei naturales, id est, Christum, & si per impossibile, alij essent. At dura videtur hæc etiam explicatio, quorsum enim Augustinus de filiis Dei naturalibus in numero multitudinis loqueretur, cum constet neque esse, neque esse posse, nisi vnum Dei Filium naturalem?

Probabilior igitur videtur sententia Alphonsi Thostati in 191. in cap. 17. Mat. & Caietani in 2. 2. q. 104. art. 6. qui dicunt per filios regni S. Augustinum intellexisse Clericos, & Monachos, qui, ut etiam S. Hieronymus docuit in cap. 17. Matthæi, immunes erant, & sunt à tributis, tanquam qui ad familiam Christi pertineant. Neque verò hinc sequitur, iure diuino Clericos esse immunes à tributis; nam in primis quod Augustinus dicit, non habetur in verbis Domini, sed colligitur solum



solùm per cõsequentiam probabilem. Dominus enim de filiis veris, & naturalibus Regum loquitur, vt Chrisostomus exponit, deinde ipse etiam Dominus hoc loco nihil propriè iubet, vt dici possit ius diuinum, sed solùm indicat ex vsu hominum, filios Regum liberos esse à tributis.

**SECUNDO** obiiciunt caput, Quanquam, de censibus in Sexto, vbi Bonifacius Papa VIII. dicit, iure humano & diuino liberos esse Clericos ab exactionibus.

**RESPONDET** Dominicus à Soto, debere intellegi decretalem istam in caussis Ecclesiasticis, vel certè quoad personas, non quoad bona. At Bonifacius disertè dicit, Clericos & eorum bona libera esse ab exactionibus; Dicendum igitur vel Bonifacium nomine iuris diuini intelligere exemplum, quod habetur in Scriptura diuina, nimirum Gen. 47. vel certè fuisse Bonifacium in sententia Canonistarum, & sententiam illam suam aperuisse, non autè aliquid definiuisse; nam non loquitur per modum definientis rem cõtrouersam, sed simpliciter, & obiter id asserit, ait enim: *Cùm iure diuino sint immunes Clerici, &c.*

**TERTIO** obiiciunt, si solùm est de iure humano, vt Clerici non soluant tributa, & non trahantur ad tribunalia secularium; ergo poterunt Reges & Principes contrarium statuere. **RESPONDEO**, id non sequi, tum quia non soli ipsi, sed etiam Pontifices & Concilia hanc exemptionè Clericis tribuerunt, tunc etiam quia orbis terræ in eam consensit, qui Regibus contulit eam potestatem, quam habent.

